A *Anxia præcipiti veniſſet Epiſtola penna:*
& hinc Πτεροφόροις Græci curſores vocarunt, ut *Dionyſius Halicarnaſſ. & Plut. in Othone*. Mos ductus fortè à Mercurii Deorum nuntii exemplo, quem non ſolùm ita depingere laudent, verùm etiam inter Poetas *Plautus* ita loqui facit *Prologo ſuæ Amphitrionis*:

Ego has habebo hucuſque in petaſo pinnulas:

quo loco ita Lambinus: Pinnulas, id eſt, pennulas; pictores enim non ſolùm in pedibus, verùm etiam in capite, pennas tribuebant Mercurio. *Arnobius l.6.* Mercurius pinnatus. *Aug. l.7. de Civit.* Ideò alas Mercurio in pedibus & capite ponunt, &c. *Apulejus l.10. de Aſino*: Inter comas ejus aureæ pinnulæ. Et fortè huc Cicero aſpexit, cum Tabellarios Pegaſos appellavit. Certè Ælius Verus Imperator curſoribus pennatas alas impoſuit, & variis eos ventorum nominibus appellavit pro curſus pernicitate, ut *Spartian.* ſcribit *in ejus vita*.

Galerus curſorum, Petaſus, lata extenſione dictus contra cœli injurias; unde *Svetonius* Auguſtum *c.* 8. petaſatum ſcribit ſolitum ambulare: nunc bardocucullis utuntur, imò & vaginis quibuſdam laneis, & ſpecillis ad oculos contra arenarum
B volatum, & nares vultumque contra hybernum frigus vindicanda.

Corona ſubinde redimiti currebant, cùm lætos afferebant nuntios: ita apud Sophoclem Trachiniis Chorus viſo nuntio fauſta afferente, Dejaniram alloquitur:

Εὐφημίαν νῦν ἴσχ'· ἐπεὶ καταστεφῆ
Στείχοντ' ὁρῶ τιν' ἄνδρα πρὸς χαρὰν λόγων.

cui geminus locus eſt apud *Ariſtidem in Panathenaico*. Illud verò facetiſſimum eſt veſtimenti genus, quo Menippum Cynicum, Inferorum nuntium facit *Suidas* voce φαιός: Furiali habitu utebatur, inquit, & ſe ab inferis inſpectorem eſſe delictorum miſſum, eaque illò renuntiaturum eſſe dicebat: fuit autem illa veſtis pulli coloris, ad talos uſque demiſſa, aſtricta cingulo Perſico: pileus Arcadius in capite, duodecim elementa (Zodiaci ſigna) habens intexta: calcei Tragici, barba ingens, baculus in manu fraxineus.

MISSIO, ET TRADITIO OCCULTA ASTUTA, TECTA.

C
IN GENERE.

Duplici artificio occultatæ Epiſtolæ; clancularia miſſione, vel ſcriptione clandeſtina. Miſſionis occultæ iſthæc ferè ſunt exempla, ordine per tabellam digeſto, quam Anonymus quidam adjunxit operibus *Ioannis à Porta* Neapolitani, quam etiam exemplis aliquot nondum obſervatis auxit *Herm. Hugo ſuprà*.

D Occulta fit epiſtolarũ miſſio triplici modo: vel
- Ratione materiæ occultæ, cui includuntur, vel inſcribuntur epiſtolæ.
  - lignum
    - Excavatione viridis corticis.
    - Excavatione ſicci ligni, ejuſque iterata oppletione.
  - ovum.
  - marmor.
  - pomum, in quo
    - ſcriptura inciſa.
    - charta incluſa.
  - panis.
  - placenta.
  - lepus exenteratus.
  - faſciæ pectorales.
  - thorax, calceus, baltheus.
  - vaginæ.
  - cutis humana.
  - caput nuntiorum ſub capillis.
  - candela cerea.
  - tabella nova, mox cera oppleta.
  - viſcera canis.
  - ſcytale.
  - fungus.
- Tabellarii occulti tecta veſte,
  - venatoris.
  - mendici.
  - animantis alicujus.
- Tecta ratione itineris,
  - terra, per canem.
  - mari
    - per urinatores.
    - per milites vectos utribus.
  - aere
    - per ſagittas.
      - litteris inciſis telo,
      - epiſtolis telo alligatis.
    - per aves
      - columbas.
      - hirundines.
      - cornices.

IN SPECIE. E

PRIMUM RATIONE MATERIÆ IN QUA Scriptæ Epiſtolæ.

Viridi cortice introrsùm excavato, quantùm ad Epiſtolam abdendam ſatis eſt, occuluntur ita literæ intra arbores, ut ſucceſſu temporis cortex denuò cum reliqua arbore concreſcat. *Cardan. De variet. rerum l.12. c.61.* ex Theophraſto.

Intra ſiccas tabellas aliquantulùm excavatas, & glutine denuò compactas, ſecretiſſimè poſſunt literæ abſcondi. *Ioannes à Porta l.11. De notis, c.21.*

Ovo perforato, & rurſum occluſo agglutinatione chartæ, glutine confecto ex albumine ovi, cui ceruſſa & cera. *A Porta, ibid.*

In marmore fracto, partibus iterùm junctis, *ibid.*

Pomo inſcriptæ literæ, ab Acontio, ut Cydippen deciperet:

Iuro tibi ſacra per myſtica ſacra Dianæ,
Me tibi venturam comitem ſponſamque futuram.

Pomo includi poſſunt Epiſtolæ, parvo facto hiatu, qui mox ſuaptè ſpontè claudatur. F

Pani incoxit codicillos arbitrariis notis ſcriptos Laurentius Medices, Florentinæ Reip. Princeps; & per nobilem quendam mendici habitu tectum, miſit ad Regem Ferdinandum Neapolitan. iiſque eum de filii ſalute certum faciebat. *Brutus l.8. Hiſt. Florent.*

Placentæ plumbeam Epiſtolam inſeruit Polycrete capta à Drogneto Duce Erythræorum, miſitque ad fratres ſuos. *Polyænus l.8.*

Lepori incluſit Epiſtolam Harpagus ad Regem Cyrum, quæ eum incitavit ad oppugnandos Medos. *Polyænus l.7. Herodotus l.1. & Iuſtinus.*

Faſciis pectoralibus abdi poſſe, indicat *Ovidius*:

Conſcia cum poſſit ſcriptas portare tabellas
Quas tegat in tepido faſcia lata ſinu.

Calceis. *Ibidem*:

Cum poſſit ſolea chartas celare ligatas,
Et vincto blandas ſub pede ferre notas.

In calceo item è ramis arboris appenſo, Joannes Novius à Luſitano Rege Calecutum miſſus, literas invenit Petri Atar- G dæi admonentis Luſitanos omnes, ut Calecutanum portum declinarent ob Regis perfidiam. *Oſorius l.11. Emanuel.*

Thorace Tabellariorum abdidit Epiſtolas ſuas Andronicus ſenior ad Cralem Sueviæ Præfectum. *Gregoras l.9.*

Baltheo abdidit transfuga quidam, qui à Campanis per Romanorum caſtra veniebat ad Pennos. *Frontinus lib.111. cap. 13.*

Vaginarum interiora à quibuſdam fuiſſe inſcripta, narrat *Frontinus l.121. c.13. & Marcell. Ammian. l.18.*

Cutis humana quomodo pro Epiſtola eſſe poſſit, docet Ovidius:

Hoc caveat cuſtos, pro charta conſcia tergum
Præbeat, inque ſuo corpore verba ferat.

de quo ritu latè *in loco de Scriptione*, ubi de Notis encauſticis.

Capiti humano ſub capillis inſcriptæ literæ ab Hiſtyæo Mileſio, qui mancipio ſuo ægro, facta curationis ſpe, capillos raſit, & capiti ejus ſtigmata inſcripſit; itaque poſtquam crines excreviſſent, ad Ariſtagoram miſit, hoc dato imperio, ut ad reliquam ſui curationem ſe raderet. Raſit mancipium Ariſta- H goras, & capiti ejus inſcriptam reperit hanc ſententiam: Hiſtyæus Ariſtagoræ, Joniam ad defectionem ſolicitat. *Polyænus l.1. Gellius l.17. c.9.*

Cereæ candelę incluſam Epiſtolam miſerunt ad Buciacium Cameneciæ urbis præfectum Tencinius, & Drevicius Poloni per puerulum, cum hoc mandato, ut quando Cameneciam puer veniſſet, juberet verbis ſuis, Buciacium ex ea candela accipere lumen. Buciacius ſuſpicatus quod erat, diſſecta candela, Epiſtolam invenit, quæ magnam rebus ejus lucem afferebat. *Cromerus l.20.*

Tabellæ novæ inſcripſit literas Demaratus exul ad Spartiatas; & mox ejus ſulcis vacuam ceram induxit. *Polyænus l.11.* cui geminum ſtratagema cujuſdam alterius refert *Gellius lib. 17. cap.9.*

Canibus deglutiendas cum eſculento quopiam literas objiciunt quidam tempeſtate noſtra, ut ex eorum interfectorum viſceribus poſtmodùm nuntius exigatur. *A Porta l.11. c.21.*

Scytale Laconica ſecretiſſima quæque olim indicata ſunt. De hac ita *Gellius l.17. c.9. ex Lyſandro Plutarchi*: Surculi duo

A duo erant teretes, ſcytales vocant, oblonguli, pari craſſamento, ejuſdemque longitudinis. Unus Imperatori in bellum proficiſcenti dabatur: alterum domi Magiſtratus cum jure atque cum ſigno habebant, &c. Circum eum ſurculum lorum complicabant, volumine rotundo & ſimplici, ita ut oræ adjunctæ undique & cohærentes lori, quod plicabatur, coirent. Literas deinde in eo loro per juncturarum oras, verſibus à ſummo ad imum proficiſcentibus, inſcribebant. Id lorum literis ita perſcriptis revolutum ex ſurculo, Imperatori commenti illius conſcio mittebant. Reſolutio autem lori literas truncas ac mutilas reddebat, membraque earum & apices in partes diverſiſſimas ſpargebat. Propterea ſi id lorum in manus hoſtium inciderat, nihil quidquam conjectari ex eo loro quibant. Sed ubi ille, ad quem erat miſſum, acceperat, compari ſurculo, quem habebat, capto, ad finem perinde, ut debere fieri ſciebat, circumplicabat: atque ita literæ per ambitum eumdem ſurculi coaleſcentes, rurſum coibant, integramque & incorruptam epiſtolam & facilem legi præſtabant. Ridet meritò hanc artem *Julius Scaliger, & exercitat. CCCXXVI. ad Cardan.* vocat Laconica nugalia. *Athenæus l.10. cap.17.* ait, ex Achæo
B Erythrienſi vocatam fuiſſe Cyrbim Spartanam: hoc eſt, inquit *Junius lib.4. Animadv. c.14.* quia quemadmodùm in κύρβεσι, publicis videlicet tabulis, Leges exaratæ erant; ita in ſcytale, præcepta ad Duces & Imper. militiæ ſcribebantur: Spartanam verò à civitate. Sunt denique de ſcytale elegantiſſimi illi *Auſonii* verſus, *ep. ad Paulinum*:

Vel Lacedæmoniam ſcytalem imitare, libelli
Segmina pergamei tereti circumdata ligno
Perpetuo inſcribens verſu; qui deinde ſolutus,
Non reſpondentes ſparſo dabit ordine formas,
Donec conſimilis ligni replicetur in orbem.

De fungo, *Ziphilinus in Trajano*: Fungus ingens ad Trajanum allatus eſt, in quo ſcriptum erat Latinis literis, Burros ſocioſque omnes à Trajano petere, ut pace facta, domum reverteretur.

ASTU TABELLARIORUM.

Harpagus non contentus literas ſuas in leporem exenteratum abdidiſſe, miſit eas prætereà per domeſticum ſuum ali-
C quem, indutum habitu venatoris, ad Cyrum regem; auctoribus *Iuſtino, Herodoto, & Polyæno.*

Mendici ſimulato habitu nobilis quidam pertulit Epiſtolas Laurentii Medicæi ad Regem Neapolitan. Ferdinandum. *Brutus ſupra.*

Canum pellibus veſtitos, canatimque reptantes per noctem Joſephus Galilæus, à Veſpaſiano in urbe Jotapata obſeſſus, tabellarios cum literis miſit per vigilum cuſtodias; neque ea res, niſi ſerò, obſervata eſt. *Ioſephus l.3. De bello Ind. c.8.*

ITINERUM OCCULTATIONE.

Vt puta quadrupedum miniſterio, &c.

Denique etiam itineribus occultandis adhibita cautio eſt. Terreſtri in primis itinere. Catellam à Tingitano cive in oppido Arzilæ relictam, Meneſius ad præfectum Tingitanum alligatis inter pilos literis, miſit, hoc aſtu: In litore catellam verberibus multis multavit, fecitque, ut ab ſe velociſſimè diffugiens, poſtridie ante crepuſculum ſtaret cum literis ad por-
D tas Tingitanas, atque ita terreſtri itinere tutò nuntium miſit. *Oſorius l.2. de reb. Emmanuelis.*

URINATORUM.

Scultellæ flumine per Urinatores Hircius Conſul ad Decium Brutum, Mutinæ obſeſſum ab Antonio, plumbeas literas eorum brachiis alligatas miſit. *Frontinus lib.3. cap. 13.* Addit *Dio Caſſius lib.46. eadem via à Decio literas remiſſas.*

UTRIUM.

Utribus verò quibus inſutæ erant literæ, Lucullus gregarios milites impoſuit, qui marinorum monſtrorum ſpecie, velut portento quodam ſtationarios terrerent, itaque ad Cyzicenos, à Mithridate obſeſſos, nuntium perferrent. *Frontinus lib.3. c.13.*

TELORUM.

Per aerem Epiſtolæ miſſæ, telis inſcriptæ vel alligatæ. Inſcriptæ, à Cleonymo Lacedæmonum Rege, dum Trœzenem obſideret, hac ſententia: Venio, ut civitatem in libertatem aſſeram. *A Porta l.2. c.21.* Alligatæ telis, ab Artabazo & Timoxeno, apud *Herodotum lib.8.* à Cæſare, cùm ſcriberet ad Ciceronem obſeſſum his verbis: Cæſar Ciceroni fiduciam E optat, expecta auxilium; apud *Polyænum l.8. & Dionem l.39.* Ita proditum Zeuminum eſt Romano exercitui à propriis militibus & civibus. *Nicetas Choniates in Annalibus.*

AVIUM.

Avium denique volatu perlatæ per aerem literæ non infrequenter. De hirundinibus id ſcribit *Plinius l.10. c.24.* Cecinna Volaterranus equeſtris ordinis quadrigarum domitor, comprehenſas hirundines in urbem ſecum auferens, victoriæ nuntias amicis mittebat, in eumdem nidum remeantes, illito victoriæ colore.

De Cornice qua uſus eſt Marrhes Ægypti Rex pro curſore, *Alexander Neapolitan. l.1. c.27. ex Æliani hiſtoria animal. l.6. c.7.* cujus hæc verba: Marrhæ Ægyptiorum regis cornix fuit animal oppidò manſuetum & cicur, ita ut Epiſtolas, quò ille vellet, facilè perferret, eſſetque omnium nuntiorum multò celerrima, &c. eam itaque pro hujuſmodi officiis, defunctam Marrhes, & columna & ſepulchro honoravit.

De columbis, *Plinius lib.10. c.37.* Magnis in rebus fuere F internuntiæ, &c. Quid vallum, & vigil obſidio, atque etiam retia amne prætenta profuere Antonio, per cœlum eunte nuntio? Loquitur Plinius de Hirtio, qui ad Decium Brutum Mutinæ ab Antonio obſeſſum litteras mittebat per columbas, quas fame & tenebris confectas, vicino mœnibus loco emittebat, ut faciliùs ad eſcam à Decio rerum conſcio expoſitam advolarent, atque ita Decius literas eis demeret; auctore *Frontino l.3. c.13.* Columbam item cum litteris Sultanus, dum à Gallis Venetiſque obſideretur Ptolemais, eò miſit, quibus ſignificabat, ſe tridui intervallo cum copiis adfuturum. Sed Veneti columbam conſpicati, militari clamore ita eam deterruerunt, ut ex aere delaberetur; moxque ei alligatis fictis epiſtolis, Sultani nomine ſcriptis, quibus indicabat ſcilicet, ſe obſeſſæ urbi opem ferre non poſſe, miſerunt Ptolemaidem; quæ deſperato auxiliorum adventu, ante triduum ſe ſuaque hoſti dedidit in poteſtatem. *Sabellicus l.6. c.6. Egnatius l.7. cap.4.*

Columba etiam, dum Godefredus Bullonius Jeroſolymam obſideret, à Barbaris in urbem cum epiſtolis miſſa, ab Accipitre ſupra ipſa Bullonii caſtra in terram deturbata eſt, lite- G ræque ſub ejus alis repertæ. *Æmilius l.4.* De Jani Douzę columba, quam ille ex obſeſſa Leida demiſit, Philologus & Poeta, ſcripſit *Daniel Heinſius in manibus Douzæ*, hoc Epigramma:

Martius ingentem glomerato milite Leidam
Cinxerat, & vaſto robore miles Iber:
Terra Salumque, inquis, mea ſunt; via nulla ſalutis,
Nulla patet puppi ſemita, nulla viro.
Douſa meus, medio ſpe libertatis in hoſte
Liber, & invicto pectore tutus erat.
Ille polus, dixit, dominum non novit Iberum,
Et tua tota mihi, Iupiter, aula vacat.
Hinc quoque fas nobis patriæ ſperare ſalutem:
Ille mihi Minos hac fugiendus erit.
Quid patriæ non præſtat amor? qui falleret hoſtem
Douza virum nequit mittere, miſit avem.

LITTERARUM COMMUNICATIO. *Item* LITERÆ COMMENDATITIÆ, CREDENTIALES, &c.

☞ *Reperiet lector in loco de Literis, & Scriptione,* H *quæ commode ad præſentem tractationem reducentur.* *De columbis Tabellariis, vide locum de Nuntiis.*

---

* Epitaphium.

DEFINITIO ET ETHYMOLOGIA.

Epitaphium eſt Inſcriptio, quam ſepulchris incidimus, aut appendimus, in laudem & memoriam defunctorum. In hoc diſtans ab Epicedio, quòd illud humato necdum cadavere pronuntiabatur. Dictum Epitaphium, quòd corpore tumulato, ἐπὶ τῷ τάφῳ, id eſt, in ſepulchro ſoleat inſcribi.

ANTIQUITAS.

EX SACRA SCRIPTURA.

Epitaphiorum uſus antiquus, & velut cum mundo natus fuit. Primus qui ea adhibuit, exiſtimatur Jacob, qui mortua Rachel uxore, & tumulo illata, erexit titulum ſive monumentum, quod

Bur-

A Burchardus arbitrabatur fuiſſe Pyramidem perelegantem, in cujus baſi erant diſpoſiti XII. lapides prægrandes, juxta numerum XII. filiorum Iſrael.

Eſt interim primum monumentum, cujus Scriptura meminit. *Gen.c.*35.

Simon Machabæus magnificum tumulum erexit ſuper corpora & ſepulchrum patris ac fratrum, *l.*1. *Machab.c.*13.

S. Hieronymus ſcribit *Epiſt.ad Marcell.* ſe ſolitum deprecari ad Mauſolæum Regis Davidis. De quo *S.Petrus Act.c.*2. Et ſepulchrum ejus apud nos eſt uſque in hodiernum diem. *Hiſtoria Regum l.*3. *c.*2. ſepulchrum hoc conſtituit in Civitate David. Fuit autem celeberrimum propter ædificia adjuncta, & reconditos in eo theſauros, quos partim Joannes Hircanus exhauſit, dum obſideretur ab Antiocho Pio, auferens tria millia talenta auri, ideſt, duos milliones, ut vocant, quibus totius populi vexationem redimeret; partim Herodes, magnam vim reperiens mundi pretioſi, & aureorum ornamentorum: niſi quòd ubi perveniſſet ad reconditoria Davidis & Salomonis, quia ab hoc etiam denominatum fuit ſepulchrum, erumpente ex aditis flamma, duo milites ſepulchri ſcrutatores con-
B ſumpti ſunt. Herodes verò ut ſe expiaret, è candido marmore monumentum maximis impenſis condidit. De quo fuſè *Joſephus l.*7. *Antiq.c.ult.lib.*16.*c.*11.

EX SCRIPTORIBUS PROFANIS.

Tempore Trojanorum, fuiſſe morem apud Ethnicos faciendi ſepulchra mortuis, tituloſque ſepulchrales, non obſcurè indicat *Homerus*, cujus ſunt illi verſus latinè redditi:

Vt te ſepeliant fratres, & ſodales
Sepulchro & titulo: eſt enim & præmium morientium.

Hodieque dicuntur Judei ſimile quid facere in ſepulchris ſuorum, inſculpentes ea verba, quæ Abigail dixit Davidi 1. *Reg.c.*25. Sit anima tua ligata in faſciculo viventium apud Dominum Deum tuum. *Prudentius in paſſione Hyppol. mart.* ita canit:

Plurima litterulis ſignata ſepulchra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.

Poetis quoque admodùm familiare Epitaphia uſurpare, & ſcribere. Sic eſt illud *Virgilii in Daphnide*:

Daphnis ego in ſylvis, hinc uſque ad ſydera notus,
Formoſi pecoris cuſtos, formoſior ipſe.

Et *Ovidius in Epiſt. Phyllidis*:

C *Phyllida Demophoon letho dedit, hoſpes amantem.*
Ille necis cauſam præbuit, illa manum.

Quin ille ipſe ad uxorem ſcribens, mandat ſibi mortuo exſtrui ſepulchrum, & hoſce verſus inſcribi. Verba ipſa dabimus *ex lib.*3. *Triſt. Elegia* 3.

Quoſque legat verſus oculo properante viator,
Grandibus in tumuli marmore cæde notis.
Hìc ego qui jaceo tenerorum luſor amorum,
Ingenio perii Naſo Poeta meo.
At tibi qui tranſis, ne ſit grave, quiſquis amaſti,
Dicere: Naſonis molliter oſſa cubent.

Cæterùm poſterioribus ſæculis multò ampliùs invaluit conſuetudo, mortuorum memorias, erectis tumulis & inſcriptionum monumentis, celebrandi, ſic ut ad viliſſimos quoſque devenerit; nihilque tam uſitatum hoc ęvo, quàm templa & cęmeteria undique Epitaphiis adornare, non modò quæ defuncti memoriam refricent, ſed quæ ſubinde totum vitæ decurſum, & elogium complectantur. Exemplorum infinitus numerus, ſic ut copia inopiam pariat. Collegit plurima *Nathan Cythreus*, in ſuo libro, qui inſcribitur: *Deliciæ itinerũ.* Nec pauca congeſſit
D *Fr. Sibeertius* Philologus Antverpienſis, in deliciis ſuis ſelectioribus: qui etiamnùm meditatur aliquid de hoc argumento.

EPITAPHIA, QUALIA, ut puta SERIA, JOCOSA, &c.

Seria plerunque ſunt Epitaphia, cum defunctum ad poſteros tranſmittant, ac nomini eorum velut monumentum æternum ſtatuant. In quo ludere, minùs decorum: detrahere, ignominioſum eſt; niſi eam ignominiam defunctus, dum viveret, ſibimet malè factorum nota peperiſſet. Quo caſu laudabilem inſcriptionem non conſequetur, qua ut mortuus careret, malè vivendo effecit. Sic Calvini hæreſiarchæ tumulo, non nemo adſcripſit hunc verſum:

Sic Calvine quieſcas, atque levis tibi Terra
Sit, tua quo poſſint eruere oſſa canes.

☞ *Vide infra Tit. Succincta, Pia, Venuſta, Dogmatica.*

JOCOSA.

☞ *Quære nonnulla in loco de Scurrilitate, in fine.*

Bibacis, & Potoris.

Refert *Athenæus lib.*16. *Dipnoſoph. c.*12. Bibaci cuidam, incertum an Philippo Regi defuncto, tale à Polæmone obtigiſſe Epigramma:

Arcadionis habet tumulus hìc oſſa bibacis, E
Erectuſque urbis proximus ille viæ huic.
Charmilus, & Dorci, poſuerunt: Mortuus eſt vir
Dum magni calicis ebibit iſte merum.

Romæ Epitaphium cujuſdam Paraſiti extra portam Capenam, ubi olim ſepulturarum monumenta apud veteres Romanos poſita erant, repertum fuit hujuſmodi:

Heus hic ſitus eſt Offellius Bubalus, bibulus: qui dum Vixit, aut bibit, aut minxit. Abi præceps.

Tale eſt Epitaphium TIMOCREONTIS ex eodem Athenæo, à Gyraldo deſumptum.

Πολλὰ πιὼν ϰ̀ πολλὰ φαγὼν ϰ̀ πολλὰ κακ' εἰπὼν
Ἀνθρώπους, κεῖμαι Τιμοκρέων Ῥόδιος.

Multa bibens, & multa vorans, mala multaque dicens
Ipſe viris: jaceo Timocreon Rhodius.

Referri huc etiam poſſet, quod VVolfango Bipontino duci nimia ingurgitatione extincto, Schola Pariſienſis inſcripſit, eſtque tale:

Pons ſuperavit aquas, ſuperarunt pocula Pontem:
Febre tremens periit, qui tremor orbis erat.

Aliud quod Senis legitur:

Vina dabant vitam, mortem mihi vina debere; F
Sobrius auroram cernere non potui.
Oſſa merum ſitiunt: vino conſperge ſepulchrum,
Et calice epoto, chare Viator, abi.

Romæ quoque illud viſitur: Valete POTATORES.

RANALDO BONONIENSI.

Qui à Picturæ Tyrocinio ad epulares trabeas tranſductus, non infecit his ſalibus annos L. Principum menſis ſupparaſitatus eſt; Familia, quoad potuit, honeſtè habita, & locupletata. Senex podragicus & tripes, nè & mortuus eſuriret, ad cœnas Elyſias tranſmigravit.

Biberius Vafer, & Cornelius Spurius Compotores, ſocio bene bibendi. PP.

Itidem Senis in templo S. Dominici, GERMANO cuidam inſcriptum:

Vina dedere neci Germanum, vina ſepulchro
Funde, ſitim nondum finiit atra dies.

Legitur & carmen Antonii Mureti in tumulum Ottonis cujuſdam, hominis voraciſſimi:

Conditus hac ſub humo eſt gurges vaſtiſſimus Otho,
Cui nunc officium juſta rependit humus.
Condidit in ventrem terræ tot jugera vivus, G
Hunc ſub ventre ſuo nunc quoque terra tegit.

PEREGRINI.

Heliodorus Carthaginenſis in Hiſpaniam devenerat, peragrata orbis non minima portione, tandem ad Gades, ubi Herculis columnæ & templum, ſubſtitit, ibique defunctus, tale monumentum conſecutus fuit.

D. M. S.

Si lubet, Legito.

Heliodorus inſanus Carthaginenſis ad extremum orbis, ſarcophago Teſtamento me hic juſſi condier. Vt viderem, ſi quiſpiam me unquam inſanior, ad me viſendum ad hac uſque loca penetraverit.

ALIUD SIMILE.

Hoſpes eram mundo, per mundum ſemper eundo,
Sic ſuprema dies ſit mihi ſumma quies

Alterius, qui nè hæres de ſepulchro eſſet ſolicitus, ante fores tumulari voluit Neapoli.

Inferri ſanctos Manes quia turpe putavi,
Idcirco ante fores conditus hic jaceo.

INCERTI POETÆ.

P. Ioannis Foſſæ, quod ſibi ſcripſit. H

Hæc ſunt in foſſa FOSSÆ *mirabilis oſſa,*
Qui ſibi condendo verſus cere-comminuit-brum.

ANONYMI GRAMMATICI.

Grammaticam multos ſcivi, docuique per annos:
Declinare tamen non potui tumulum.

MATRONÆ *defunctæ in Anglia.*

Hic jacet Eliſabeth: Si benè fecit, habet.

COCI. *Romæ.*

Hic jacet Iodocus,
Qui fuit Romæ Coquus,
Doctor in Partibus,
Magiſter in Artibus.
De gratia ſpeciali,
Mortuus eſt in hoſpitali.

DURANDI *cujuſdam in Anglia.*

Hic eſt DVRANDVS poſitus ſub marmore duro,
An ſit ſalvandus, ego neſcio, nec ego curo.

BAJULI *cujuſdam Romæ.*

Guſtino Tonelli F. à valle Morava, Protobajulo robuſtiſſimo, ab ætatis ſuæ primordiis ſportifero, digitorum dimi-

A catione invicto, annuo ſodalitum armiluſtro, ſignifero perpetuo, ſumpto virili ſacco in foro boario, duro & nodoſo ſceptro donato, ſtillicidio publicè coronato, in alligandis, circumligandis, ſublevandis, ſubvolvendis ſarcinis, reliquis dexterior. Nolens obiit, cum vini cadum intùs & extra gereret.

Vixit, quantum potuit: vixit, quantum voluit.
Hoſpes, ſi pius es, non tuis candidulis lacrymis,
Sed rubicunda Tabernarũ lacryma, hunc tumulũ aſpergito.

Bajulorum ſodalitas benè mero hærenti Pos.

Comitis cujuſd. Flandriæ.

Hic jacet Henricus, Rodericus, vel Fredericus.
Non benè recordor, nomen tamen ibat in ICVS.

DIALECTICI.

Hic jacet Magiſter David,
Qui ſæpè Philoſophavit
In Barbara, & Celarent,
Vt omnes admirarent;
Et in Friſeſomorum.
Requieſcat in ſæcula ſæculorum.

ALIUD CERTI PRESBYTERI.

Gaudent anguillæ, quia protinus occidit ille
Presbyter ANDREAS, qui capiebat eas.

ARNULPHI CORNIBOUTII.

In Cænobio Villarienſi.

Pauſat in hac tumba vir ſimplicitate columba,
Qui leo virtute, jubilis ſimilatur alaudæ:
Qui turtur gemitu, viſu ſimul atque volatu
Par aquilæ. Salamandra novo qui vixit in igne.
Vis brevius Iuſti laudes in fine probare?
Nunc canit in la SOL, qui quondam flevit in Ave.

Pariſiis, JOANNIS DE SACROBOSCO.

De Sacroboſco qui computiſta Ioannes
Tempora diſcrevit, jacet hic à tempore raptus.
Tempore qui ſequeris, memor eſto quod morieris:
Si miſeres, plora: miſerans pro me precor ora.

Ibidem. PETRI COMESTORIS.

Petrus eram, quem petra tegit: dictuſque Comeſtor,
Nunc comedor. Vivus docui, nec ceſſo docere
Mortuus, ut dicat qui me videt incineratum,
Quod ſumus, iſte fuit, erimus quandoque, quod hic eſt.

NEARCHI IMPROBI.

Te pulvis tegat exiguus miſerande Nearche,
C *Quo citius poſſint te lacerare canes.*

Zozimæ ſervæ.

Zozima cum ſolo prius eſſet corpore ſerva,
Libera nunc etiam corpore facta ſolo.

CAROLI V. Imp.

Hic jacet intus Carolus Quintus,
Dic pro illo bis, aut ter, Ave Maria, & Pater noſter.

CUJUSDAM SORDIDI VVALONIS.

Pediculi, Cimices, Culices, mala turba valete,
Sat vobis nimiumque datum, jam nutrio vermes.

M. LUTHERI.

Hic cubat ille Aſinus, qui pro meretrice cucullum
Exuit, & totum replevit ſchiſmate mundum.

ADULTERI CUJUSDAM.

Si non fuiſſem arrogans,
Et cornuum nimis amans,
Non eſca forem vermibus,
Nec jacerem hic cum cornibus.

FRANCISCI MOLZÆ. Mutinæ.

Si animarum auctio fieret,
Franciſcum Molzam
Licitarentur virtutes, patria, & uxor.
Quæ ſibi & illi hoc MON. Poſuit.

D SERIA. EAQ. DOGMATICA.

Eſt illud REGIS Galliæ cujuſdam, quod poſteris dedit *P. Camerarius Horar. ſucciſiv. c.*38. *Cent.*2.

Riſi, ploro: fui, non ſum: ſtudui, requieſco:
Luſi, non ludo: cecini, nunc mutio: pavi
Corpus, alo vermes: vigilavi, dormio: dixi
Salve, dicoque vale: rapui, rapior: ſuperavi,
Vincor: certavi, pace utor: Iure ego vixi,
Iure etiam morior: non obſto, obſtare nequirem.
Terra fui quondam, rurſus ſum terra, nihil ſum.
Terra caduca vale; vermes ſalvete, recumbo.

Tale quoque eſt illud Attilii Grammatici Comenſis: cujus tumulo adſcriptum legitur:

Morborum vitia, & vitæ mala maxima fugi:
Nunc careo pœnis, pace fruor placida.

Huc referatur illud Feliciani cujuſdam Veronenſis, quod eſt tale: *Mihimet Felicianus Veronenſis ſacr.conſt. Qui inquietus vivus, nunc tandem mortuus, non lubens quieſco. Solus cur ſim quæris? ut in die cenſorio ſine impedimento faciliùs reſurgam.*

Et alterũ T. Lupati Patavi, Paduani, qui objit An. M.CCC.XCIX.

Id quod es, ante fui, quid ſim poſt fata, requiris?
Quod ſum, quidquid id eſt, tu quoque Lector eris. E
Ignea pars cœlo, caſæ pars oſſea rupi,
Lectori ceſſit nomen inane LVPI.

Tale etiã eſt Pacuvii Poetę, cujus fit mentio in *loco de Gloria, Tit. Gloriæ, ſive honoris ſtudium reſpectu præmii, §. Epitaphii.*

Accenſeri his meritò debet, quod vivus ſibi defuncto inſcribi ſupremis teſtamenti tabulis voluit V. C. Juſtus Lipſius, & legitur Lovanii apud Franciſcanos.

Quis hìc ſepultus, quæris; ipſe ediſſeram.
Nuper locutus & lingua, & ſtylo fui.
Nunc altero licebit, ego ſum LIPSIVS,
Cui litteræ dant nomen, & tuus favor.
Sed nomen: Ipſe abivi, abibit hoc quoque.
Et nil hic orbis quod perennet, poſſidet.
Vis altiore voce me ſecum loqui?

HUMANA CUNCTA FUMUS, UMBRA, VANITAS, ET SCENÆ IMAGO, ET VERBO UT ABSOLVAM, NIHIL.

Extremum hoc te alloquor:
Æternum ut gaudeam, tu adprecare.

Lipſio Abrahamum Ortelium adjungo, quem vita functũ ille hac inſcriptione ſuperſtitem eſſe voluit, quam Tumulo, quem Antverpiæ in Abbatia S. Michaelis elegit, hæredes adſcripſerũt. F

ABRAHAMI ORTELII.

Quem urbs urbium Antverpia edidit,
Rex Regum Philippus Geographum habuit,
Monumentum hìc vides.
Brevis terra eum capit:
Qui ipſe Terrarum orbem cepit,
Stylo & tabulis illuſtravit,
Sed mente contempſit,
Qua cœlum, & alta ſuſpexit,
Conſtans adverſus ſpes, aut metus.
Amicitiæ cultor, candore, fide, officiis;
Quietis cultor, ſine lite, uxore, prole.
Vitam habuit, quale alius votum.
Vt nunc quoque æterna ei quies ſit,
Votis fave LECTOR.

Romæ propè Templum S. Mariæ majoris in Sacello Pontani. *Quid agam, requiris? Tabeſco. Scire quis ſim, cupis? Fui. Vitæ quæ fuerint condimenta, rogas? Labor, dolor, ægritudo, luctus, ſervire ſuperbis dominis. Iugum ferre ſuperſtitionis, quos caros habeas ſepelire, patriæ videre excidium. Nam uxorias moleſtias nunquam ſenſi.*

Petro compatri, viro officioſiſſ. Pontanus Poſ. G
Conſtantem ob amicitiam M.D.LXXV.

Ibidem. AMASII.

Quiſquis lecturus accedis, cave ſi amas: at ſi non amas, penſicula miſer, qui ſine amore vivit, dulce erit nihil. At ego tam dulce anhelans, me incautè perdidi, & amor fuit. Equo dum aſpectui formoſiſſ. Durmioniæ puellæ virgunculæ ſumma polvoria placere cuperem, caſu deſiliens, pes hæſit ſtapiæ: tractus interii.

AVARI, etiam Romæ. Patris, & filii.

Qui dum vita data eſt, ſemper vivebat avarus
Hæredi parcens, invidus ipſe ſibi:
Hìc accumbentem ſculpi genialiter arte
Se juſſit docta poſt ſua fata manu.
Vt ſaltem recubans in morte quieſcere poſſet,
Securaque jacens ille quiete frui.
Filius à dextra reſidet, qui caſtra ſecutus,
Occidit ante patris funera mæſta ſui.
Sed quid defunctis prodeſt genialis imago?
Hoc potius ritu vivere debuerant.

Aliud.

PONTIA *Titi Pontii filia hìc ſita ſum. Quæ duobus nâtis à me veneno conſumptis, avaritiæ opus, miſeræ mihi mortẽ conſcivi.* H

Tu quiſquis es, qui hac tranſis, ſi pius es, quæſo à me oculos averte.

PUERI. Quod habetur Tergeſta in Iſtria.

Me longè effigie venuſtiorem
Narciſci, vel Apollinis comati,
Parcarum Lacheſis ſoror ſevera,
Iſti Quinterinem dedit ſepulchro.
Cur non floſculus ex eam requiris?
Cum tantum fuerim puer decorus?
Hæc tellus nimis arida eſt, viator,
Noſtri facta peruſtione amoris:
Nam terram quoque læſimus decore.
Quod ſi lachrymulis tuis madeſcet,
Forſan flos novus ibit è ſepulchro.

MONSTRI. Florentiæ.

Hac Petrus Pauluſque uno ſub corpore bini,
Fabrica Naturæ mira jacemus humo.

GEMELLORUM. Romæ.

Vna dies animo ſimiles, vultuque gemello,
Vna dies fecit funere diſſimiles.
Æmula ſed noſtræ fuerint cum fata Iuventæ,
Vna meos cineres condet & urna tuos.

PUE-

A PUERI ab angue interfecti. Ibidem.
Luderet in viridi dum ceſpite Lydius infans,
Propter aquam (ah pietas) ictus ab angue cadit.
Infelix mater natum complexa tacentem.
Occidit angue puer, victa dolore parens.

Perelegans eſt Epitaphium, quod marmori inciſum aſſervatur etiam Romæ, in periſtilio ædium Card. Alexandrini, poſitum olim Domic.

HOMONÆÆ matronæ caſtiſſimæ, in quo ipſa cum marito loquitur.

HOMERUS.

Tu qui ſecura procedis mente, parumper
Siſte gradum, quæſo, verbaque pauca lege.
Illa ego quæ claris fueram prælata puellis,
Hoc Homonæa brevi condita ſum tumulo,
Cui formam Paphiæ Charites tribuere decoram,
Quam Pallas cunctis artibus erudiit.
Nondum bis denos ætas mea viderat annos,
Injecere manus invidæ fata mihi.
Nec pro me queror: hoc morte eſt mihi triſtior ipſa
Mæror Atimeti conjugis ille mei.

B ATIM.

Sit tibi terra levis, mulier digniſſima vita,
Quæque tuis olim perfruerere bonis.
Si penſare animas ſinerent crudelia fata,
Et poſſet redimi morte aliena ſalus:
Quantulacunque meæ debentur tempora vitæ,
Penſarem pro te chara HOMONAEA libens.
At nunc, quod poſſum, fugiam lucemque deoſque,
Ut te matura per ſtyga morte ſequar.

HOMERUS.

Parce tuam conjux fletu quaſſare juventam,
Fataque mærendo ſollicitare mea.
Nil poſſunt lacrymæ, nec poſſunt fata moveri:
Viximus: hic omnes exitus unus habet.
Parce, ita non unquam ſimilem experiare dolorem,
Et faveant votis numina cuncta tuis.
Quod mihi prærípuit mors immatura juventæ,
Id tibi victuro proroget ulterius.

INFANTIS NONDUM NATI
MATRE MORTUA.

Hic tumulus matrem, natum tegit illa: ſepulchrum
Terra tuæ matri eſt, nate, ſed illa tibi.
Mortuus in tumulo es, quo vixti molliter ante:
C *Eſtque tibi tumulus, qui fuit ante domus.*
Sic tumuluſque domuſque fuit tibi mater, & ante
Quàm poteras natus eſſe, ſepultus eras.

Legitur inter Epigrammata Daniel. Heinrii. ——

EPITAPHIA HEROUM QUI BELLO TROJANO
INTERFUERUNT.
Ex verſione Auſonii Burdegalenſis, Iuriſconſul. & Poetæ.

AGAMEMNON.

Rex Regum Atrides, fraternæ conjugis ultor,
Oppetii manibus conjugis ipſe meæ.
Quid prodeſt Helenis raptum puniſſe dolentem,
Vindicem adulterii cum Clytemneſtra necet?

MENELAO.

Felix ò Menelae, Deum cui debita ſedes:
Decretumque piis Manibus Eliſium.
Tyndareo dilecte gener, dilecte Tonanti,
Conjugii vindex ultor adulterii.
Æterno pollens ævo, æternaque juventa,
Nec lethi paſſus tempora, nec ſenii.

AJACI.

Ajacis tumulo pariter tegor obruta virtus,
Illacrymans buſtis funeris ipſa mei:
D *Inconſtans, lacerata comas, quod pravus Atrides*
Cedere me ſtructis compulit inſidiis.
Iam dabo purpureum claro de ſanguine florem,
Teſtantem gemitum, crimina judicii.

ACHILLI.

Non una ÆEacidum tellus habet oſſa, teguntur
Littore Sigeo, crimen Lariſſa cremavit.
Pars tumuli ſupereſt, periit pars maxima quondam?
Orbe ſed in toto vivum me fecit Homerus.

ULISSI.

Conditur hoc tumulo Laertia natus Uliſſes.
Perlege Odyſſeam, omnia noſſe volens.

DIOMEDI.

Conditus hic genitore bono melior Diomedes.
Crimen ob uxoris pulſus dotalibus agris,
Argyripam Claroſque viris qui condidit Argos:
Clarior urbe nova, patriæ quàm ſede vetuſta.

ANTILOCHO.

Conſiliis belloque bonus, quæ copula rara eſt,
Carus & Atridis, carus & ÆEacidis.
Præmia virtutis ſimul & pietatis adeptus,
Servato Antilochus Neſtore patre obii.

Non hic ordo fuit, ſed juſtius ille ſuperſtes: E
Troja capi ſine quo perfida non poterat.

NESTORI.

Hoc tegor in tumulo, quanti jam prodigus ævi
Neſtor, conſilio clarus, & eloquio.
Objecit ſeſe, cujus pro morte peremptus
Filius: & nati vulnere vivo pater.
Eheu, cur fatis diſponere ſic placet ævum,
Tam longum, ut nobis, tam breve, ut Antilocho?

PYRRHO.

Orbe tegor medio, major virtute paterna,
Quod puer, & Regis Pyrrhus opima tuli.
Impius ante aras quem fortè peremit Oreſtes,
Quid mirum? cæſa jam genitrice furens.

EURYALO.

Nec me non dignum titulo Pleuronia credit?
Cui communis erat cum Diomede domus:
Euryalo & Stenelo. Nam tertius hoc ego regnum
Poſſedi; de quo nunc ſatis eſt tumulus.

GUNEO.

Gunea pontus habet, tumulus ſine corpore nomen,
Fama homines inter, cælum animus repetit.
Cuncta elementa duci tanto commune ſepulchrum. F
Quæ? cælum, & tellus, & mare, & ora virum.

PROTESILAO.

Fatale adſcriptum nomen mihi Proteſilao,
Nam primus Danaum bello obii Phrygio.
Audaci ingreſſus Sigeja littora ſaltu,
Captus bellacis Lertiadę inſidiis.
Qui ne Trojanę premeret pede littora terrę,
Ipſe ſuper proprium deſilii clypeum.
Quid queror? hoc lethum jam tum mea fata canebant,
Tale mihi nomen cum pater impoſuit.

DEIPHOBO.

Proditus ad pœnam ſceleratę fraude lacenę,
Et deformato corpore Deiphobus,
Non habeo tumulum, niſi quem mihi voce Tonantis
Et pius ÆEneas, & Mare compoſuit.

HECTORI.

Hectoris hic tumulus, cum quo ſua Troja ſepulta eſt,
Conduntur pariter, qui periere ſimul.

ASTYANACTI.

Flos Aſię, tantaque unus de gente ſuperſtes,
Parvulus Argivus, ſed jam de patre timendus,
Hic jacet Aſtyanax, Scęis dejectus ab altis.
Pro dolor! Iliaci Neptunia mœnia muri G
Viderunt aliquid crudelius Hectore tracto.

SARPEDONI.

Sarpedon Lycius, genitus Iove, numine patris
Sperabam cælum: Sed tegor hoc tumulo
Sanguineis fletus lachrymis, pro ferrea fata!
Et patitur luctum, qui prohibere poteſt?

NASTI ET AMPHIMACO.

Naſtes, Amphimacuſque Nomionis inclyta proles,
Ductores quondam, pulvis & umbra ſumus.

TROILO.

Hectore proſtrato, nec Diis, nec viribus æquis
Congreſſus perii Troilus, ÆEacidæ
Raptatus bigis, fratris conjungor honori,
Cujus ob exemplum nec mihi pœna gravis.

POLYDORO.

Cede procul, myrtumque iſtam fuge neſcius hoſpes.
Telorum ſeges eſt ſanguine adulta meo.
Confixus jaculis & ab ipſa cæde ſepultus,
Condor in hoc tumulo bis Polydorus ego.
Scit pius ÆEneas, & tu rex impie, quòd me
Thracia pœna premit, Trojaque cura tegit.

EUPHEMO. H

Euphemum Ciconum ductorem Troica tellus
Condidit haſtati Martis ad effigiem.
Nec ſatis eſt titulum ſaxo incidiſſe ſepulchri,
Inſuper & frontem mole onerant ſtatuæ.
Ocyùs iſta ruunt, quæ ſic cumulata locantur.
Major ubi eſt cultus, magna ruina ſubeſt.

HIPPOTHOO, ET PYLEO IN HORTO SEPULTIS.

Hippothoum, Pyleumque tenet gremio infima tellus:
Caulibus & malvis terga ſuprema virent.
Nec vexat cineres horti cultura quietos,
Cum parcente manu molle olus excolitur.

EUNOMO ET CHROMIONI.

Eunomus hic Chromiuſque jacent, queis Myſia regnum,
Queis pater Alcimus, Oceanuſque atavus.
Nobilitas quid tanta juvat? quò clarius iſtis
Eſt genus, hoc mortis conditio gravior.

PRIAMO.

Hic Priami non eſt tumulus, nec condor in iſta
Sede, caput Danai diripuere meum.
Aſt ego quum lacerum ſine nomine funus haberem,
Confugi ad cineres Hectoreos genitor.

Illic

A *Illic & natos, Trojamque Aſiamque ſepultam*
Inveni: & noſtrum quidquid ubique jacet.

Idem PRIAMO.

Qui tumulum Priami quærit, legat Hectoris ante:
Ille meus, nato quem priùs ipſe dedi.
Hectoris, & patris ſimul eſt commune ſepulchrum,
Amborum quoniam juncta ruina fuit.

HECUBÆ.

Quæ regina fui: quæ claro nata Dymante:
Quæ Priami conjux: Hectora quæ genui:
Hic Hecuba injectis petii ſuper obruta ſaxis:
Sed rabies linguæ me tamen ulta priùs.
Fidite ne regnis, & prole & ſtirpe parentum,
Quicumque hoc noſtrum σῆμα κυνὸς tegitis.

POLYXENÆ.

Trojas Achillæo conjuncta Polyxena buſto,
Malueram nullo ceſpite functa tegi.
Non benè diſcordes tumulos miſcetis, Achivi:
Hoc violare magis, quàm ſepelire fuit.

ALIORUM PRINCIPUM, ET HEROUM.
Ex Varrone.

Littore diverſo Libyæ clariſſima longè
B *Nomina, vix ullo condita ſunt tumulo.*
Magnus, & humano major Cato, qui procul à te
Reſpicit, heu, cineres, Roma, jacere ſuos.
Marmoreo LICINUS tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo; credimus eſſe Deos?

De iiſdem Incertus.

Iunxit magnorum caſus fortuna virorum:
Hic parvo, nullo conditus ille loco eſt.
Ite, novas toto terras conquirite mundo;
Nempè manet magnos parvula terra duces.

De ALEXANDRO magno.

Sufficit huic tumulus, cui non ſuffecerat orbis;
Res brevis huic ampla eſt, cui fuit ampla brevis.

De CATONE Incertus.

Ne mirere ſacri deformia buſta Catonis,
Viſuntur magni parva ſepulchra Iovis.

De SCIPIONE Africano.

Devicto Hannibale, & capta Carthagine, & aucto
Imperio, hoc cineres marmore tectus habes.
Cui non Europe, non obſtitit Africa quondam,
Reſpice res hominum, quàm brevis Urna tegat.

Auſonius de Euphemo.

C *Euphemum Ciconum ductorem Troja tellus*
Condidit haſtati Martis ad effigiem.
Nec ſatis eſt titulum ſaxo incidiſſe ſepulchri;
Inſuper & frontem mole onerant ſtatuæ.
Ocyus iſta ruunt, quæ ſic cumulata locantur:
Major ubi eſt cultus, magna ruina ſubeſt.

ALEXANDRI FARNESII PARMÆ P.

Francia quem metuit, Belgæ coluere fideles,
Martis honos, nullo conditur in tumulo.
Gloria quæ toto latè ſe fundit in orbe:
Orbem pro tumulo non locus arctus habet.
Tot domitis tumulos victori Belga triumphos
Erige, nam vivis gloria, nec moritur.

ERNESTI POMERANIÆ PRINCIPIS.

Qui Princeps juſtus fuit, & patriæ pater almus,
Magnanimus, fortis, munificuſque dator.
Conditur Erneſtus tumulo Ludovicus in iſto,
Si condi cuivis gloria viva poteſt.
Fœlix in vita, fortuna, conjuge, Natis,
Sed laudanda magis morte beatus, habet.
Ergo ſit hic titulus teſtis, vitæque neciſque:
Hæc immortalis ſunt monumenta Ducis.

HENRICI IV. FRANC. REGIS.

D *GALLICI Corona regni Coronam Do heV Cecidit.*

Aliud Maxemil. Urintii.

OCCIDIt à SICa Mars gaLLVs, LILLIA paLLent.

CAROLI BUCQUOI FORTISS. DUCIS.
CAROLO BUCQUOJO
HEROI MAGNO.

Belgarum Marti, Germanorum Herculi;
Quem timere, non odiſſe hoſtes poterant,
Quem amare, non timere Milites debebant.
Qui mori potuit, vinci non potuit.

H. T. S. E.
ALBERTO ARCHIDUCI, BELGARUM
Principi.

Cæſareis prognatum atavis, & Cæſare patre,
Magnanimum tegit hic terra ſuperba Ducem,
Auſtriadem Albertum: quo non ſervantior æqui:
Belgiadum invictis jura dedit populis.
Nec minus Odriſiis fortem ſe præbuit armis,
Dum conjuratus poſceret arma furor.
Hoc Valachri ſenſere feri, ſenſere Batavi,
Senſerat & damno Gallica terra ſuo.
Hinc deſiderium populis hærede beari,

Quod tamen, heu! ſterili ſuſtitit ille thoro E
Infauſtum expertus thalamum, ſed conjuge fauſtum
Heſperii nata Principis EUGENIA.
Queis ſi par Superi germen, ſobolemque dediſſent,
Perpetua poteras Belga quiete frui.

INDECORA ET IMPIA.

BRIXIÆ tale legitur.

D. M.

Qui me volent, valete matronæ matreſque familias.
Vixi, & ultra vitam nihil credidi: me Veneri alumnæ addixi.
Quos potui, pellexi filtris & aſtu, viro humato non vidua fui, nec mariti nomen adepta. Quæſo non invidete.
Portia familia eſt Veneris, domus illicium Cupidinum.
Cave viator, ne me diu calcatam calces.

In urbe ARAGONIÆ, ab Appiano refertur extare tale.

Quo vadam, neſcio: Invitus morior,
Valete Poſthumi. M. Poſthumius Eques.

Simile ROMÆ in domo Petri Chiavelucii Notarii legitur.

DIIS MANIBUS
Sixti Parpennæ Firmi.
Vixi quemadmodum volui, quare
Sim mortuus, neſcio,

IBIDEM non procul à foro Judæorum. F

Iulia B. Priſca vix. an. XXVI.
Q. Clodius Hilarius vix. an. XLV.
Nihil unquam peccavit, niſi quod mortua eſt.

Ravennatis fœminæ ſpurciſſimæ inſolitum mortis genus, non ſine ipſius perpetua infamia, poſteritati traditum eſt, cujus monumentum Ravennę talem habet inſcriptionem.

F. I. Dicat.

Cineres & oſſa Laodiceæ Philocaptæ hic ſita ſunt, perpetuæ memoriæ facti & infamiæ cauſa. Quæ inſatiabili venere exhauſta, ſubter viro vivo mortua eſt. Vixit an. XXIII. menſ. VIII. d. IV.

Infeliciſſ. Parentes tacito nomine extra ſortem ad rudera poſuere. O voraginem exurentem! ——

Neque minùs impium eſt, quod Sardanapalo Aſiæ Regi potentiſſimo, & effeminatiſſimo obtigit Epitaphium, belluinæ vitę ipſius teſtis. Quippè tumulo illius inſculpta erat manus dextra conjunctis digitis, velut ad elidendum ſonum, in eoque litteris Aſſyriis hoc inſcriptum, uti ex Athenæo Ariſtobolus tradit:

Sardanapalus Anacyndaxis filius, Anchialem & G *Tarſum*
Uno die condidit. Ede, bibe, lude. Reliqua ne digitorum quidem ſtrepitu digna ſunt.

Strabo autem ex Cherilo Poeta ſubjicit hos verſus. *l. 4. Geogr.*

Cum te mortalem noris, præſentibus exple
Deliciis animum, poſt mortem nulla voluptas.
Namque ego ſum pulvis, qui nuper tanta tenebam.
Hæc habeo, quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit: at illa manent multa & præclara relicta.
Hoc ſapiens vitæ mortalibus eſt documentum.

Sanè cum Ariſtoteles in hoc monumentum incidiſſet, primamque Epitaphii partem legiſſet, Ecquid, ait, aliud in bovis tumulo ſcripſiſſet? ac poſteriores deinde verſus legens, riſit, & dixit: Hic ea ſe mortuum habere dicebat, quæ ne vivus quidem habuit, niſi quandiù deglutiebat.

Petri Pomponatii Mantuani Epitaphium eſt: *Hic ſepultus jaceo. Quare? neſcio, nec, ſi ſcis, aut neſcis, curo. Si vales, bene eſt, vives valui. Fortaſſis nunc valeo. Si, aut non, dicere nequeo.*

SUPERBA.

Selymus Turcarum Imperator X. Conſtantinopoli ſepultus, tumulo ſuo, Græca, Turcica, & Sclavonica lingua, adſcribi H voluit, quæ ſequuntur:

Hic maximus adſum Selym, qui orbem domui:
Non bella relinquo, ſed pergo inquirere.
Nec ulla me fortuna potuit evertere.
Licèt oſſa jacent, animus bella quærit.

SOLYMANNI TURCAR. IMP.

Terror Germanis, Italis tremor, horror Iberis,
Ingenteis fregi Rex Orientis opes.
Mater erat Bellona, pater Mars Thracius, hinc quod
Arma puer, juvenis, virque ſenexque tuli.
Viventi pelagus fuerat mihi non ſatis amplum,
Defunctus modicis ad Styga claudor aquis.

ATTILÆ HUNNORUM REGIS.

Quid tot conſpiciens, Viator, altum
Erecta ad tumulum trophæa, totque
Victorum exuvias, Ducum Urbiumque,
Tot cadavera, totque de ſubactis
Triumphos populis, ſtupes, anhelas?
Rex ille Attila, Numinum flagellum,
Tu noſti reliqua, hic jacet, Viator.
Cerne, ut nunc etiam cinis ſuperbus

Spi-

A *Spiret imperium, minas, furorem,*
Hunc caſus niſi, narium ſoluta
Vena, dum thalamis novæque nuptæ,
Indulget nimis, abſtuliſſet: orbis
Everſus, titulos decuſque monſtro
Fatali cumularet & trophæa.

SUCCINCTA, ET VENUSTA.

Pleræque inſcriptiones ſepulchrales à brevitate & acumine venuſtatem habent, & elegantiam: è multis paucas ſuppeditabimus in exemplum. Ac primùm ſeſe offert inſcriptio dedicata tumulo Roſimundæ Henrici II. Anglorum Regis amaſiæ, quæ viſitur in Cœnobio Godſtovejo.

Hac jacet in tumba Roſa mundi, non roſa munda:
Non redolet, ſed olet, quæ redolere ſolet.

Pręfectus militum Adriani Imp. nomine Similis, tali inſcriptione poſt obitum legitur decoratus: *Similis hic jacet, cujus ætas quidem multorum annorum fuit; ſeptem tamen dumtaxat vixit*: quia totidem in otio & quiete vixerat. *Dio in vita Adriani.*

CICERONIS, In Zazyntho.

B M. TULII CICERO HAVE. ET TU TERTIA ANVΩNIA.

Ovidii Naſonis tumulus, cum hac inſcriptione inventus fuit non ita diù, in finibus Græciæ & VValachiæ, haud procul à Ponto Euxino, circa annum Dom. M.D.LXXXI. ruderibus terraque obſitus, habens ingentem ſarcophagum fonti limpidiſſimo imminentem. Inſcriptio ita ſe habet:

Hic ſitus eſt vates quem Divi Cæſaris ira
Auguſti, latia cedere juſſit humo.
Sæpè miſer voluit patriis occumbere terris,
Sed fruſtra, hunc illi fata dedere locum.
L. Beyerlinck in opere Cronographico.

FELIS MORSU MORTUI.

Hoſpes diſce novum mortis genus, improba felis
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.

Legitur Romæ.

Etiam Hermolai Barbari in eadem urbe tale eſt.

Barbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem,
BARBARVS hic ſitus eſt, utraque lingua gemit.
Vrbs Venetum vitam, mortem dedit inclyta Roma;
Non potuit naſci, nobiliuſvè mori.

C Laurentio Vallæ tale Epitaphium obvenit, Romæ in Æde S. Joannis.

Tandem Valla jacet, ſolitus qui parcere nulli eſt:
Si quæris, quid agat? nunc quoque mordet humum.

Dum verò Bartholomæus Facius, Vallæ inviſus, hinc etiam paulò pòſt diſcederet, quidam utrumque hoc diſticho notavit.

Ne vel in Elyſiis ſine vindice Valla ſuſurret,
Facius haud multos poſt obit ipſe dies.

Aliud Julii Portiæ, ibidem.

Patria Roma fuit, gens Portia, nomen Iulus,
Mars puerum inſtituit, Mors puerum rapuit,

Cremonæ in Eccleſia S. Angeli.

Hic Pietas in Patriam & Pauperes prompta, monumento eſt vobis Poſteri, ubi jaceo. Antonius Laiſſitatus, nulli unquam noxius, Deo proximus. Vale.

Mutinæ in æde Dominicanorum, Gaſpar Petrazanus hanc inſcriptionem defunctus meruit.

Flamma ſacri Iuris, Flamen Iovis, optimus oſſa
Petrazanus habet Gaſpar in hoc tumulo.
Mactabat ſuperis; cecidit mactatus ad aras:
Vt cecidit pro diis, ſtat Deus ante Deos.

D Florentiæ in Templo D. Marci.

Hic ſitus eſt Picus Mirandula: cætera norunt
Et Tagus, & Ganges, forſan & Antipodes.

Patavii duorum Juvenum, diverſo mortis genere interemptorum, tumulus hoc verſu decoratur.

Siſte, legas juvenum crudelia fata duorum:
Alter aqua periit turpiter, alter equo.

Viennæ, in Auſtria.

Maximilianus Cæſar ſemper Auguſtus:
Demiſſus cælo,
Redditus cælo,
Non obiit, ſed abiit,

Lovanii in æde S. Petri tumulo Joannis Vvameſii, Juſtus Lipſius hæc adſcripſit.

Iſte vir fuit Lector, ſed fuit.
Tu quoque quod es, non eris.
Alius alias. Sed omnes huc imus.
Cogita, & huic benè apprecare.
Ita poſteri tibi.

Epitaphium Baldi Juriſconſ. Papiæ:

Filius Aſtreæ, Iurium pater, artis alumnus
Cæſareæ, verus Religionis honos.
Baldus Peruſii ducens cognomen ab urbe,
Clauditur hìc, animus ſidera ſumma petit.

E Item Raphaelis Fulgoſi. Patavii.

Fulgoſus Raphael virtutem Iaſpis, utroque
Iure ſtupor tantus, quantus & orbis,
Scriptis morte vacat, tam parvo clauditur antro,

Floridi. Romæ.

Quod vixi, flos eſt: ſervat Lapis hoc mihi nomen.
Nolo Deos manes, Flos ſatis eſt titulo.

VALERII CORDI, ibidem

Ingenio ſupereſt Cordus, mens ipſa recepta eſt
Cælo, quod terræ eſt, maxima Roma tenet.

SANNAZARII. Neapoli,

Da ſacro cineri flores, hic ille Maroni
Sincerus Muſa proximus, ut tumulo.

Lovanii GEMMÆ FRISIO Medico inſcriptum.

Quis lapis hic? Gemmæ. Gemmam lapis an tegit? inquis,
At condi in gemma debuerat potius.

CAROLI VIRULI.

Hic Carolus ſitus eſt, VIRVLVS cognomine dictus:
Sed Pietas Magnum quem probat eſſe VIRVM.

ALAERDI AMSTERODAMENSIS.

Nunc tota terra tegit, qui TOT A TERRA fuit. Alludit autem ad etymon Belgicum nominis, ALAERDE. F

Venatoris, qui dum aprum figit, à ſerpente quem calcabat mordetur.

Anguis, aper, juvenis, pereunt vi, vulnere, morſu:
Hic fremit, ille gemit, ſibilat hic moriens.

CUJUSDAM STEPHANI COMITIS.

Qui COMES in terris non omnibus eſſe volebat,
Gaudet apud ſuperos omnibus eſſe COMES:

LINÆ ANUS.

LINA anus hìc jaceo, mutetur proxima primæ
Littera in E: fiet vita peracta palam.

JOANNÆ ANGLOR. REGINÆ.

Phœnix IOANNA jacet, nato Phœnice, dolendum
Sæcula Phœnices nulla tuliſſe duos.

S. UTHONIS PRIMI ABBATIS COENOBII METENSIS.

Abbas hic primus VTHO, nec laudibus imus,
Iam jacet ut limus, cælo requieſcit opimus.

Lapidis ſepulchralis Juſto Lipſio poſiti inſcriptio, ibidem apud Minoritas, ita ſe habet.

Quod claudi potuit, G
Hic jacet.
S.P.Q. Antverpienſis.
Inclyti viri
Famæ orbi notæ,
Virtuti cœlo receptæ
H.M.P.

Aliud incerti auctoris. PARISIIS.

Præſulis hujus erant, quod habent hæc tempora raro,
Mens ſincera, manus larga, pudica caro.

Huc adduci nonnulla poterunt ex loco de Epiſcopis, *Tit. Epiſcopi Belgii.* Ex multis enim pauca aliquot ſelegimus: plura Lector reperiet palato ſuo non ingrata apud Auctores, qui monumenta & inſcriptiones variarum Regionum poſteritati conſecrarunt. Inter quos F. Svveertius Antverpianus non infimum locum aſſequitur, ut qui exquiſita undique monumenta nuper evulgavit.

ÆNIGMATICA OBSCURA.

Exſtat Ænigma inciſum lapidi ſepulchrali, in Cathedrali HAMBURGENSI. H

O, Mors, Cur, Deus, negat, vitam.
Super.
Be, Te, Bis, Nos, Bis, Nam.
Ordine da primam mediæ, mediamque ſequenti,
Debita ſic noſces fata, ſuperbe, tibi.
Quid mortalis homo jactas te? quidve ſuperbis?
Cras forſan fies pulvis, & umbra brevis.
Quid tibi opes proſunt? quid nunc tibi magna poteſtas?
Quidve honor? aut præſtans quid tibi forma? nihil,

Viſitur BONONIÆ talis inſcriptio ſepulchralis.

AM. PP. D.

Ælia Lælia Criſpis, nec vir, nec mulier, nec Androgyna, nec puella, nec juvenis, nec anus, nec meretrix, nec pudica,
Sed omnia.
Sublata neque fame, nec ferro, nec veneno,
Sed omnibus.
Nec cœlo, nec aquis, nec terris,
Sed ubique jacet.
Lucius Agatho Priſcius, nec maritus, nec amator, nec neceſſarius, neque mœ-

A *mœrens, neque gaudens, neque flens, hic nec molem, nec pyramidem, nec ſepulchrum:*
Sed omnia.
Scit, & neſcit, quid poſuerit.
Hoc eſt ſepulchrum intus cadaver non habens:
Hoc eſt cadaver ſepulchrum extra non habens:
Sed cadaver idem eſt, & ſepulchrum ſibi.

Ex monumentis editis per Sigefridum Ribiſch, Francofurti, Anno 1589. Georgius Remus I.C. ſic vertit carmine:

Nec vir, nec mulier fuit ÆLIA, LÆLIA, CRISPIS.
Non Hermæ & Veneris proles, verùm OMNIA. Porrò
Non anus, aut uxor, juveniſve incaſtavè (mirum)
OMNIA enim fuerat ſimul & ſemel. Hæc neque ferro
Eſt ſublata, fameve, venenove; OMNIBVS illis
(Heu) periit: nec aquis, neque terris, nec jacet aſtris
Condita, ſed quacumque, locis nempè OMNIBVS illa eſt.
Non molem, non pyramidem, non, cerne, ſepulchrum,
(Narro vera, ſimul mendacia) at OMNIA: Eique
Neſcio quis ſtruxit, non mœrens, ſed neque gaudens.
OMNIA quippè ſimul. Nodus num Gordius hic eſt?

B De hoc ænigmate verè illud Maronis dici poteſt,

Cui non dictus Hylas?

Penè omnium namque nationum ingenia in eo enodando deſudarunt. Primus Marius Michael Angelus, Italus, Philoſophus Patavinus, de aqua pluvia intelligendum dixit. Joannes Turrius Brugenſis, Belga, J.C. de materia prima eſt interpretatus. Hos rejiciens Richardus Vitus, Anglus, C.I. de Niobe primùm, poſt de anima, mox de Idea explicandum cenſuit. Poſtremo Nicolaus Bernaudus, Medicus, Gallus, de Mercurio Chymico interpretatus eſt. I. Caſperius Gevartius Antverpienſis, *lib.3. Elector.* in ea opinione eſt, Amoris hic deſcribi Epitaphium.

IMITATIO PRIORIS INSCRIPTIONIS

Viator
Mane, Lege, ambula.
Hic jacet
Andor Vortumus, nec Servus, nec
Miles, nec Medicus,
Nec Laniſta, nec Sutor, nec Fur,
Nec Cauſidicus,
C *Nec fœnerator: Sed OMNIA.*
Nec in urbe vitam egit, nec ruri,
Nec domi, nec foris,
Nec in mari, nec terra. Neque
Hic, nec alibi:
Sed ubique.
Nec fame, nec veneno, nec ferro.
Nec capiſtro,
Nec morbo ſublatus.
Sed omnibus.
Poſui. H. I. illi, nec debitor, nec
Hæres, nec cognatus,
Nec vicinus, nec neceſſarius.
Hanc neque molem, nec lapidem,
Nec tumulum,
Nec caſtrum doloris.
Sed omnia.
Nec tibi, nec illi, nec mihi, nec
Malè, nec benè volens:
Sed omnibus.

D EPITAPHIA BRUTORUM.

Inſcriptionum honor etiam ad Bruta ab hominibus tranſivit, & quæ illis natura ſuprà alia ſui generis largiter indulſit, litterarum monumentis conſignata à variis, qui eorum lepores ac ingenium, tamquam beneficæ naturæ munera, variè experti, ſuam velut gratitudinem erga illa memorabili inſcriptione teſtati ſunt. Ordiemur ab Equis.

EQUORUM.

Extat Florentiæ ſepulchrum ad ripam Arni, infra novum palatium, equi cui Carolus Capellanus Venet. Lęgatus inſęderat, in eoque hoc Diſtichon legitur.

Non ingratus Herus, Sonipes memorande, ſepulchrum
Hoc tibi pro meritis, hæc monumenta dedit,

Obſeſſa urbe, Anno 1530. 3. Id. Martii.

Apud Dionem de Boryſthene Equo Adriani Cæſaris legitur, quo in venando plurimùm utębatur, quòd mortuo ſepulchrum fecit, columnam erexit, & Epigramma adſcripſit.

Julius Capitolinus memoriæ prodidit, Verum Imperatorem equo ſuo Volucri, quem ita amavit, ut ei aureum fecerit ſimulachrum, & uvas paſſas, nucleoſque in vicem hordei in præſepe impoſuerit, ſepulchrum in Vaticano fieri curaſſe. E

Sic fortiſſimus Rex Poloniæ Stephanus, qui annis ſuperioribus regnavit, equo ſuo generoſiſſimo, qui eodem die, quo frater ejus dominus Tranſylvaniæ, extinctus fuerat; in loco, quo haud procul ab arce Vilnenſi tumulatus eſt, monumentum erexit, his verſibus celebratum.

Regis Equus Stephani, forma, greſſuquè ſuperbus,
Et curſu velox, propè Vilnæ conditur arcem,
Qui moriens, Regis fratrem præſagiit eſſe
Sublatum è vivis: docuit quod fama ſecuta.
Huic ſtatua erecta eſt monimentum teſtis equini.

Archidux Albertus, Sereniſſimus Belgarum Princeps, equum quendam ſuum mirè generoſum, cognomento Nobilem, impensè adamavit. Qui & anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſalvum eum, atque incolumem ex conflictu illo Flandrico, in quo Admirantius hoſtiles incidit manus, ad ſuos reduxit. Sequenti verò anno, eodem recurrente die, cum expiraſſet, Bruxellis in Archiducis equili hiſce contumulatus eſt verſibus.

Siſte gradum ſpectator, ego de nomine dicor
NOBILIS, at præſto nobilitate rei.
Archiduci ALBERTO ſubſtravi tergora quondam, F
Quando propè OSTENDAM Martia Erynnis erat.
Illumque eripui pugnantem hoſtilibus armis,
Cùm vel ei, mihi vel, mors ſubeunda fuit.
Me magis ardebat miles, quia virginis inſtar,
Cernebat nivea creſcere fronte jubam:
Hinc ut me raperet, crebrò ſua ſpicula & enſa
In caput ignoti ſtrinxerat Archiducis.
Evaſi, eduxique virum, meque ipſe reduxit
Incolumem, noſtræ non erat hora necis.
Aſt anno vertente, die quo evaſimus ambo,
NOBILIS interii: cernite qualis eram.
Franciſcus Svveertius Antverpienſis in ſelectis Chriſtiani orbis delitiis.

MULÆ.

Ab Equis ad Aſininum genus deſcendimus. Romæ in hortis Cardin. Sermonettæ, monumentum Mulæ conſpicitur, ut ſcribit *Porcatius in ſuo libello*, cui titulus *Funerali Antichi*, inter Romam & Tibur, cui inſcriptio hujuſmodi adhæret, aut inhæret. Dis pedibus ſaxum.

Chiuchiæ dorſiferæ & cluniferæ, ac peſſuetæ & manſuetæ, cujus ut inſultura deſulturæ commodetur, Pub Craſſus mulæ ſuæ Craſſæ, beneferenti, ſuppedaneum hoc cum riſu poſuit.

VEXIT. ANN. III. MENS. XV. Dies noct. Secundò G

Tumulus Caballæ Philippi Cagoſſi. Romæ.

Miraris tumuli viator amplam
Molem? perlege carmen Hoſpes: iſto
Non vir, non mulier jacet ſepulchro.
Non Bos, non Arieſve, non Aſellus,
Sed ruris Decus, atque Ruſticorum
Caballa hìc tegitur ſenis Cagoſſi,
Quam plus conjuge plus nuru Philippus
Plus vita, atque oculis ſuis amabat,
Nam, cum pede claudicaret uno,
Ægrè & ducere ſpiritum valeret,
Lethalis quoque cancer occupavit,
Æterno & miſeram dedit ſopori.
Quare mæſtus eam ſenex Philippus
Defunctam decoravit hoc ſepulchro,
Ingens gloria lumine ut carentis
Ad ſeros quoque tranſeat Nepotes.

CANUM.

Frequentia illa ſunt, & quæ bruti iſtius indolem minimè brutam, fidem quoque & lepores teſtentur. Xantippus canem qui juxta triremem Athenis Salamina enataverat, in promontorio humavit, quod adhuc Cynoſſema, id eſt canis monumentum nominatur. H

Multa hujus generis dedimus, *Loco de Canib. Tit. Epitaphia*, quæ aliàs loco huic ſunt propria, & huc referri poterunt Quibus pauca adjicimus, quæ cum Romæ, tum alibi leguntur

CATELLÆ. S.

Quod potui, tibi fida Catella ſepulchrum,
Digna magis cæli munere, quàm tumuli.

Aliud.

Candenti è lapide tibi convenit urna, fuiſti
Candida tota pilo, candida tota fide
Si cælum ut quondam canibus patet, haud tua terras
Incendet, ſed Ver ſtella perenne dabit.

Item aliud. Romæ

Parve canis. tibi parva domus, & corpore parvus
Et brevis eſt tumulus, & breve carmen habe.

PERDICIS.

Non te jam miſeram, ſcopulorum erratica Perdix,
Viminibus lentis texta tenet cavea.
Nec mihi Matutæ roſeum venientis ad ortum
Alarum excuties nobile plumitium.

Nam

A *Nam tibi jam felis caput abſtulit, omniaque una*
Abſtulit, & ſævæ vix ſatis illud erat.
Quare, ne tibi terra levis ſit, ſed gravis, opto,
Ne mox relliquias eruas illa tuas.

LOCUSTÆ

Exiguus quamvis ipſoque in limine nobis
Pro tumuli injectus pendet honore lapis:
At meritò tamen eſt, Hoſpes, laudanda Philænis.
Nam quæ ſpinoſis ante Locuſta locis
Vixi, cantantem geminis dilexit ab annis:
Nunc poſtquam feris ſum viduata ſonis,
Impoſuit tumulo, nec ſprevit luce carentem,
Eductæque diu parva ſepulchra dedit.

PORCELLI

M. Grunnius Corocotta Porcellus
Vixit Annos D.CCCC. XCVIIII.
Quod ſi ſentis, dixiſſet:
Optimi amatores mei, vel Conſules
Vitæ, rogo vos, ut corpori meo
De bonis condimentis
Nuclei, piperis, & mellis,
Ut nomen meum in ſempiternum
Nominetur.

B PSITTACI.

Qui fuit Franc. Svveertii Antverp. quem ei mercator Batavus, pro ſumma IV. mille Floren. Brabantic. quam debebat, cuique exſolvendæ impar erat, ut aliquid dediſſe videretur, miſerat:

ERYCII PUTEANI EPIGRAM.

Rara avis interiit, drachmarum millibus empta
Bis ſenis, domino flebile delicium.
PSITTACUS interiit SVVEERTII, ſunt funera nummi:
Tanto pro pretio nil niſi verba dedit.
Ne tumulo careat, vacua condatur in arca:
Ne titulo, Hic, ſcribam, Millia multa jacent.
Plenam ſic rurſus contractet SVVEERTIUS arcam:
Plumas ſic numeret, qui numerabat opes.

SUIS INDICÆ Romæ.

Gregis me decus unicum ſuilli
(Non iis de ſuibus loquor lutoſis
Immundis, olidis, & invenuſtis,
Quos turpi juvat incubare cœno:
Sed quos vel benè delicata Virgo
Molli non neget in ſinu fovere:
Quos Indus creat, auriferque Ganges)
C *Huic Lucina puerperam ſepulchro*
Enixam geminos dedit catellos:
Quorum alter miſeræ comes parenti,
Mecum per ſtygias vagatur umbras.
Alter qui mihi ſolus eſt ſuperſtes,
Si valent pia vota mortuorum
Mentes flectere Cælitum, precamur,
Cervi ſæcula longiora vivat.

PHILOMELÆ ibidem.

DIS AVIBUS.

Luſciniæ Philomelæ, ex Aviario Domitiorum ſelectæ, verſicolori, pulcherrimæ, cantrici ſuaviſſ. omnibus gratiis ad digitum pipilanti, in poculo murrhino caput abluenti, infeliciter demerſæ. Heu miſella Avicula. Hinc inde volitabas tota garrula, tota feſtiva. Latitas modò inter pulla Leptynis loculamenta, implumis, frigidula, clauſis ocellis. Licinia Philomela deliciæ ſuæ, quam in ſinu poſtillis alebat, in proprio cubiculo, Alumna cariſſ. cum lacrymis Pos. Vale, & vola per Elyſium.

In cavea picta ſaltans quæ dulce canebat:
Muta tenebroſa nunc tacet in cavea.

D MUSCÆ IN PATERA DEMERSÆ.

Et legitur Bredemburgæ in Cimbria.

Guſtatrix jacet hìc lautorum MUSCA ciborum,
Et conviva frequens Principis in tabula.
Non volucris roſtro, ſtimulis nec araneæ aduncis,
Cretica ſed guſtans pocula, pota cadit.
Nil opus eſt luctu: quis enim tam nobile fatum
Lugeat? Eſt auro condita, merſa mero.

SYLLABUS ILLORUM QUI PUBLICARUNT

EPITHAPHIA, INSCRIPTIONES, &c.

Adolphus Occo Medicus.
Aldus Manutius in lib. de Orthographia.
Bernardus Briſſonius lib. VII. de Formulis multa vetera recenſet Epitaphia, & de tumulis doctiſſimè ſcribit.
Balthaſar Mentzius Saxo, Epitaphia VVittembergenſia.
Bernardinus Scadeonius, Epitaphia Patavina.
Cæſar Baronius S.R.E. Card. in Annalibus Eccleſ.
Franciſcus Bernardinus Ferrarius De funere Chriſtianorum parat legitimum & juſtum opus Mediolani in Coll. Ambroſiano excitato à Frederico Borromęo Cardin. & Archiepiſcopo Mediolanenſi.
Franciſcus Svveertium filius, in Deliciis Chriſtiani orbis, ubi dedit. E
Janus Gruterus in Inſcriptionibus Romanorum, poſt Smetium.
Joannes Kirchmannus Lubenenſis De funeribus Romanorum Lib. IV.
Joannes Meurſius De funere.
Juſtus Lipſius dedit & auxit Inſcriptiones Romanorum M. Smetii.
Laurentius Schaderus Saxo, Monumentorum Italiæ lib. 4.
M. Smetius Inſcriptiones Roman.
Nathan Cythræas Delicias itinerum in Europa evulgavit.
Pantaleon Candidus, antiqua & recentia Epit.
Petrus Andreas Canonherii Genuenſis Flores Epitaphiorum.
Petrus Apianus Mathematicus Inſcriptiones Sacroſanctæ vetuſtatis.
Simon Grunæus Antigrapha monumentorum Baſilienſium.
Tobias Fent pictor Uratislavienſis, Monumenta clarorum doctrina præcipuè toto orbe terrarum virorum, cum Iconibus. F
Reges, Reginæ, Nobiles, & alii in Eccleſia Collegiata B. Petri VVeſt-monaſterii ſepulti uſque ad annum CIƆ.IƆC. Excuſ. Londini abſque nomine auctoris.

Epulæ.

☞ *Sacræ, funebres, honorificæ, victoriales, & ſimiles. Quære ſub Tit. de Magnificentia.*
☞ *Videatur etiam Locus de Conviviis*

---

* Equus.

☞ EQUI UBI. *Quære Tit. de Loco formaliter conſiderato quoad locatum, ubi multa de Regionibus, in quibus equi præſtantiores.*

☞ EQUORUM CURA. *Puta eos paſcere, inſtruere, cicurare, excitare. Vide in Loco de Operis Mechanicis Tit. Operæ mechanicæ verſantes circa materiam inanimatam. §. Equorum &c.* G

☞ AB EQUIS NECATI, *excuſſi, elliſi, &c. Pete fusè ex Titulo de Morte, ibi. à Brutis Necati, multa hic in eandem rem.*

☞ IN EQUOS PRODIGI. *Quære Prodigalitas.*

☞ *Equorum Certamina, Domitores, Divinatio, Amor, pete ex titulis propriis, & vide ea quæ in gratiam Lectoris ſubjiciemus.*

☞ *Equis divites. vide Divitiæ.*

EQUORUM COMMENDATIO ET ELOGIUM.

Georgius Buchananus, Poeta ſui ſæculi excellens, quamvis religione à Catholicis diſſenſerit, elegantiſſimum Equi elogium expreſſit his verbis.

Cetera rerum opifex animalia finxit ad uſus
Quæque ſuos: Equus ad cunctos ſe accommodat uſus.
Plauſtra trahit, fert clitellas, fert eſſeda, terram
Vomere proſcindit, dominum fert, ſive natatu
Flumina, ſeu foſſam ſaltu, ſeu vincere curſu
Eſt ſalebras opus, aut canibus circumdare ſaltus,
Aut molles glomerare gradus, aut flectere gyros,
Libera ceu vacuis ludit laſcivia campis. H
Quòd ſi bella vocent, tremulos vigor acer in artus
It, domino & ſocius vomit ore & naribus iras,
Vulneribuſque offert generoſum pectus, & unà
Gaudia, mœrorem ſumit ponitque viciſſim
Cum domino: ſortem ſic officioſus in omnem.
Ut veteres nobis tam certo fœdere junctum
Crediderint, mixta coaleſcere poſſe figura,
Inque Pheretroniis Centauros edere ſylvis.

Certè antiquitas Centauros ex equo infero, & ſupero homine finxit, ut equorum ingenium, indolem, & docilitatem indicaret. Exempla pauca ſuggeram, quæ id doceant.

Etiam *Claudianus* Equum HONORII Imp. hoc carmine extollit.

O felix ſonipes, tanti cui fræna mereri,
Numinis, & ſacris licuit ſervire lupatis,
Seu tua per campos vento juba luſit Iberos,
Seu te Cappadocum gelida ſub valle natantem
Argææ lavere nives, ſeu læta ſolebas
Teſſalia rapido perſtringere paſcua ſaltu,

Acci-

A *Accipe regales cultus, & crine ſuperbos*
Erecto virides ſpumis perfunde ſmaragdos,
Luxurient tumido gemmata monilia collo:
Nobilis auratos jam purpura veſtiat armos,
Et medium te zona liget variata colorum
Floribus, & caſtæ manibus ſudata Serenæ,
Perſarum gentile decus, ſic quippè laborat,
Maternis ſtudiis, nec dedignatur equeſtres
Moliri phaleras, genero latura decorem.

☞ *Pete nonnulla ex Epitaphiis, Ubi Epitaphia quædam equorum.*

DOCILITAS.

Dio Caſſius author, Trajano, cum in fines Parthorum veniſſet, oblatum à Satrapis equum, doctum venerari hominem ritu adorantis, flectere anteriora genua, capite ante pedes anteſtantis ſubmiſſo.

Quin, & geſticulari, convivari, decumbere ſoliti: Ideòque olim in theatris equos adhibuerunt Sybaritæ luxu & deliciis perditi, ſi vera ſunt, quæ de illis fama vulgavit; equos aſſuefaciebant in convivium venire, ad tibiam ſaltare, pedes tol-
B lere, geſtuſque & vocem ad chordas edere.

Ferunt, fuiſſe tibicinem equorum magiſtrum, qui à Sybaritis fugerat ad Crotoniatas eorum tunc hoſtes. Defert ingenium & operam, effecturum ſe, ut Sybaritas vincant. Copiæ colliguntur, & coeunt, tibicen ille has ducit, qui & plures inſtruxerat ea arte, & aſtu. Egrediuntur Sybaritæ, & fiducia pleni, nam & equitatu prævalebant, congrediuntur. Et ecce tibicines modulari certis formulis, quas dum exceperunt equi Sybaritarum, dum ſe ad convivia, non ad prælium accendi autumant, excuſſis ſeſſoribus, ſolemne domi tripudium ineunt, & acie turbata cæduntur. Sed & Circo, ſpectante Claudio Cæſare, excuſſis aurigis, viſi ſunt currere, circa metam ſe flectere, oppoſitos vitare, præmium depoſcere quod meruerant, indignantibus omnibus, verba ſunt Plinii, artes hominum ab equis victas.

Julius Cæſar Scaliger narrat tanquam oculatus teſtis, Agyrtam quendam equum puſillum, & deformem circumduxiſſe, cujus juſſu, imò & nutu, ambulabat, properabat, currebat, ſaltabat, vel bipes vel quadrupes. Vinum, inquit, bibere vidimus, in clunibus ſedentem anteriores pedes ad pateram ferre, pel-
C vim cruribus ſuſtinere, quaſi à tonſore lavaretur. Refert *Lipſius Cent. 3. Epiſt. ad Belg. Epiſt. 56.* Et peculiare caput de equorum docilitate inſeruit in ſuum librum de venatione Beliſarius Neritinorum Dux.

Cæterùm ſimilem hiſtoriam illi, quæ eſt de victis Sybaritis, narrat de Cardianis equitibus, à Biſaltis ſimili aſtu devictis, *Athenæus lib. 12. Dipnoſoph. c. 6.*

QUALITAS A QUA COMMENDENTUR.

☞ *Vide quæ in progreſſu hujus loci adducemus ex Oppiano Tit. Equorum qualitas, color, &c.*

FIDES. FIDELITAS.

Erga magiſtros, Heros, Directores.

De equo Alexandri magni refert *Agellius*, & verbis illius *Lipſius*, quòd capite & nomine Buchephalus fuerit, emptus ita Cares ſcripſit, talentis XIII. & Philippo Regi donatus. Super hoc equo, ubi phaleris ornatus, & ad prælium armatus fuerat, nullus excepto Rege inſedit, nec ut quiſquis inſideret patiebatur. Id verò de equo illo memorabile, quòd cum eo
D vectus Alexander bello Indico, in hoſtium cuneos incautiùs penetraſſet, conjectiſque undique telis equus confoſſus eſſet nihilominùs moribundus, penèque exanguis, è mediis hoſtibus curſu vivaciſſimo Regem retulerit, atque extra telorum jactum extulerit, ac quaſi domini jam ſuperſtitis ſecurus, cum ſenſus ſolatio animam exhalaverit. In cujus rei gratam memoriam Alexander victor, urbem eo loco condidit, quam de Equi ſui nomine Bucephalon appellavit: ita Agellius.

SEVERUS Imperator, cum Prætorianos aſtu circumventos exarmaſſet, quòd Pertinacem deſerviſſent, & occidiſſent: & qui inter eos equites, juberentur deſerere equos: fuit unus, cujus equus teneri & ſiſti non potuit, quamvis ille repelleret, dominum adhinniens & ſequens; quem ita permovit, ut educto gladio, ſe & hunc interficeret; & addit Dio qui hæc ſcribit; equus ille ſpectantibus viſus eſt libens, lætuſque cum domino mori.

In bello Punico ſecundo, gravi illa Cannenſi clade, eques Romanorum Clælius fuit vulneribus confectus, & inter mortuos relictus. Mane facto, Annibal pugnæ locum petit, ut oculos tam immani cæſorum ſpectaculo paſceret. Clælius moribundus, ad ſtrepitum caput & linguam movens, extremam vocem animamque cum gemitu effudit. Agnovit vocem domini ſui equus, cui Numida juxta Annibalem inſidebat: aures arrigit, ſeſſorem proſternit, currit per cadavera, & ante dominum jam mortuum conſiſtit, colloque & armis ſubmiſſis invitat ad ſcandendum, diro illo Annibale fidem animantis demirante. E

De equis dominos per multa milliaria natando inſequentibus, donec Moguntiam cum iiſdem devenirent, ſcribit etiam memorabilem hiſtoriam I. *Lipſius ſuprà.*

Virgilius de Pallantis occiſi equo.

—— Poſitis ait, ignibus Æthon,
It lacrymans, guttiſque humectat grandibus ora.

Homerus Patroclo trucidato canit:

Ἵπποι δ' Αἰακίδαο, μάχης ἀπάνευθεν ἐόντες,
Κλαῖον, ἐπειδὴ πρῶτα πυθέσθην ἡνιόχοιο
Ἐν κονίῃσι πεσόντος ὑφ' Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο.
Æacidæ ſed equi paulum à pugna inde remoti
Flebant, ut primum aurigam novere peremptum
Hectoreis manibus dejectum in pulvere fœdo.

Teſtis eſt *Plinius*, Antiochum Regem, cum prælio Gallos fudiſſet, Contareti Ducis equum cæſo domino conſcendiſſe: aſt hunc indignatione commotum, ſpretis lupatis, ſe in abrupta dediſſe, non ſine gravi & ſuimet, & equitis diſcrimine. F

Idem. Occiſo Scytharum quodam Regulo, ſingulari pugna, & ex provocatione, cum victor ad ſpoliandum hoſtem accederet, ab equo ejus morſibus, & calce interfectus fuit.

Solinus Polyhiſthor. c. 43. varia hujus virtutis equinæ exempla refert, ac inter alia, equos commemorat, qui non niſi primos dominos cognoſcerent, obliviſcebantur manſuetudinis.

De equis Mamalucorum in Ægypto, ſcribit *P. Iovius*, quòd inter prælia hoſtes morſu petant.

Sed id magis admirandum, quòd rectoribus perditis, quos diligunt, fame mortem accerſant. Id quod de Soclis Athenienſis equo tradidit Ælianus. A quo cum amaretur ardentiùs Socles, veritus ignominiam, equum vendidit. Qui amaſio domino deſtitutus, voluntariam ſibi mortem inedia conſcivit. *Phil. Camer. Cent. 1. hor. ſuciſ. c. 21.*

Alexio Imp. Græcorum equus fuit Arabicus, inquit Nicetas, fulvi coloris, qui tyrannum fratricidam, ab Iſacii fratris cæde redeuntem, ſagacitate cognovit, dorſo excuſſit, calce impetiit. G

Quod paulò ante de Bucephalo Alexandri Magni equo, nullum præter eum ſeſſorem admittente, diximus, idem de equo Julii Cæſaris, qui fiſſis in duas partes prioribus ungulis natus illi erat, ſcribit Dio *lib. 37. Rom. Hiſtoriæ*, quòd præter Julium, nullum ſeſſorem admitteret.

Equitem Francum, memorat *Camerarius*, perſæpè equi ſui beneficio hoſtium inſidias evaſiſſe, quas is velut ſubodorabatur; ejusque rei binas hiſtorias narrat *c. 23. Cent. 2. horar. ſuciſſiv.*

PIETAS, ET PROBITAS IN GENITORES.

Ariſtoteles memoriæ prodidit, Scytharum Regi equum generoſum fuiſſe, & pulcherrimę ſoboli aptam matrem: ea cauſa motum Regem, ut filium generoſum matri admiſceret, & ita ſtirpem augeret: ſed illum recuſaſſe. Cùm verò placuiſſet Regi tegi matrem, ut imprudens ſuperveniret, factum quidem: at mox ut agnovit, facti indignatione motus, per abrupta fugiens, ſe præcipitavit.

Simile in Hiſpania Bœtica, noſtro ſæculo. Equus inter optimos inductus ad matrem inceſtandam lenociniis & unguentis, cognito crimine, morſu ſibi ipſe genitalia, demirantibus cunctis, abrupit. Alibi, inquit Lipſius ſuprà, prorigam ipſum juſtiore vindicta legimus ab ipſis interfectum. H

Sed & erga ſorores notitia & amor, atque in comitatu earum libentiùs jugum ducunt.

DIVINATIONES ET PRÆSAGIA.

Homerus Xanthum Achillis Equum, velut mortem ei præfari inducit. *Iliad. γ.*

Cæſaris equos, quos ad Rubiconem fluvium liberos dimiſerat, & ſacraverat, inſidiis in eum paratis, per aliquos ante & poſt dies cibo abſtinuiſſe, compertum fuiſſe, Ammianus ſcribit.

Valentinianum Principem, pridiè quàm periret, familiaris equus non admiſit; ſed præter morem repellebat. *Idem.*

Narrat de ſeipſo Juſtus Lipſius, quòd Anno M. D. LXX. equi, cui inſidebat, beneficio & præſagio, à ſummo vitæ, quod ſibi inopinatò imminebat, diſcrimine fuerit ſervatus, equo fluminis, qui pervadendus erat, tutiora loca, etiam in adverſa impulſus & obluctans, ineunte, & tranſeunte.